Nullum igitur vitium taetrius est, ut eo, unde digressa est, referat se oratio, quam avaritia, praesertim in principibus et rem publicam gubernantibus. Habere enim quaestui rem publicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. Itaque, quod Apollo Pythius oraclum edidit, Spartam nulla re alia nisi avaritia esse perituram, id videtur non solum Lacedaemoniis, sed etiam omnibus opulentis populis praedixisse. Nulla autem re conciliare facilius benivolentiam multitudinis possunt ii, qui rei publicae praesunt, quam abstinentia et continentia.

Qui vero se populares volunt ob eamque causam aut agrariam rem temptant, ut possessores pellantur suis sedibus, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant fundamenta rei publicae, concordiam primum, quae esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniae, deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium, ut supra dixi, civitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia.

Atque in hac pernicie rei publicae ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erepta est, est inimicus; cui data est, etiam dissimulat se accipere voluisse et maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo. At vero ille, qui accipit iniuriam, et meminit et prae se fert dolorem suum, nec, si plures sunt ii, quibus inprobe datum est, quam illi, quibus iniuste ademptum est, idcirco plus etiam valent. Non enim numero haec iudicantur, sed pondere. Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam saeculis ante possessum qui nullum habuit habeat, qui autem habuit amittat?

M.T. Cicero *De Officiis* II, 77-79

XXVI OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2007/2008 - I ETAP

De virtutibus Epaminondae.

Epaminondas erat modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens, ut ne ioco quidem mentiretur, idem continens, clemens patiensque admirandum in modum, non solum populi, sed etiam amicorum ferens iniurias, in primis commissa celans, quodque interdum non minus prodest quam diserte dicere, studiosus audiendi: ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque cum in circulum venisset, in qou aut de re publica disputaretur aut de philosophia sermo haberetur, numquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de re publica nihil praeter gloriam ceperit.

Cornelius Nepos *De viris illustribus, Epaminondas III 1-4*

Objaśnienia:

consuerunt = consueverunt

XXVI OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2007/2008 - II ETAP

De druidibus.

Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt. Militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam coveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis utantur litteris. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgus disciplinam efferi velint neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere, quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant.

C. Iulius Caesar *Bellum Gallicum, lib. VI cap. 14, 1-4*

Objaśnienia:

consuerunt = consueverunt
druides, -um m. – druidowie (kapłani Gallów)
Graecus, -a, -um – grecki

XXV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2006/2007 - I ETAP

De virtutibus Epaminondae.

Epaminondas studiosus audiendi erat: ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de re publica nihil praeter gloriam ceperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos saepe sic usus est, ut iudicari possit omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam cum aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus aut virgo amici nubilis, quae propter paupertatem collocari non posset, amicorum consilium habebat et, quantum quisque daret, pro facultatibus imperabat. Eamque summam cum fecerat, priusquam acciperet pecuniam, adducebat eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant, eique ut ipsi numerarent, faciebat, ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret, quantum cuique deberet.

Cornelius Nepos *De viris illustribus, Epaminondas III 4-6*

XXV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2006/2007 - II ETAP

Sine amicitia vitam esse nullam

Una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt. Quamquam a multis virtus ipsa contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur; multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat; honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil esse levius existiment! itemque cetera, quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt qui pro nihilo putent; de amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii qui ad rem publicam se contulerunt, et ii qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et ii qui suum negotium gerunt otiosi, postremo ii qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere.

M.T. Cicero *Laelius De Amicitia [86]*

Objaśnienia:

uno ore – jednym głosem, jednomyślnie
pro nihilo putare – mieć za nic, uważać za nic
omnes an unum – wszyscy co do jednego

XXV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2006/2007 - III ETAP

Res urbanas maiores esse quam bellicas

Sed cum plerique arbitrentur res bellicas maiores esse quam urbanas, minuenda est haec opinio. Multi enim bella saepe quaesiverunt propter gloriae cupiditatem, atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit, eoque magis, si sunt ad rem militarem apti et cupidi bellorum gerendorum; vere autem si volumus iudicare multae res extiterunt urbanae maiores clarioresque quam bellicae.

Quamvis enim Themistocles iure laudetur et sit eius nomen quam Solonis illustrius citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas, non minus praeclarum hoc quam illud iudicandum est. Illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati; hoc consilio leges Atheniensium, hoc maiorum instituta servantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuverit, at ille vere [a] se adiutum Themistoclem; est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus.

Licet eadem de Pausania Lysandroque dicere, quorum rebus gestis quamquam imperium Lacedaemoniis partum putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt; quin etiam ob has ipsas causas et parentiores habuerunt exercitus et fortiores.

M.T. Cicero *De Officiis* (Liber Primus, 74-76)

XXIV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2005/2006 - I ETAP

De abstinentia Epaminondae.

Temptata autem eius est abstinentia a Diomedonte Cyziceno. Namque is rogatu Artaxerxis regis Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit et Micythum adulescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam convenit et causam adventus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonti coram 'Nihil' inquit 'opus pecunia est. Nam si rex ea vult, quae Thebanis sunt utilia, gratis facere sum paratus; sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis. Namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriae caritate.

Cornelius Nepos *De viris illustribus, Epaminondas IV 1-3*

Objaśnienia:

temptata - na olimpiadzie było "tentata"
abstinentia, ae f - niesprzedajność, uczciwość
Epaminondas, ae m - Epaminondas, wybitny polityk i dowódca tebański
Diomedon, ontis m - Diomedon z Kyzikos
Cyzicenus 3, pochodzący z miasta Kizikos
rogatu - na prośbę
Artaxerxes, is m - Artakserkses Mnemon, król perski
pecunia corrupendum susceperat - podjął się przekupienia
Thebae, arum f - Teby, miasto w Beocji
Micythus, i m - Mitykos, ulubieniec Epaminondasa
Thebani, orum m - Tebańczycy, mieszkańcy Teb

XXIV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2005/2006 - II ETAP

De simulacro Dianae in Sicilia.

Segesta est oppidum pervetus in Sicilia, iudices, quod ab Aenea fugiente a Troia atque in haec loca veniente conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate atque amicitia, verum etiam cognatione se cum populo Romano coniunctos esse arbitrantur. Hoc quondam oppidum, cum illa civitas cum Poenis suo nomine ac sua sponte bellaret, a Carthaginiensibus vi captum atque deletum est, omniaque quae ornamento urbi esse possent Carthaginem sunt ex illo loco deportata.

Fuit apud Segestanos ex aere Dianae simulacrum, cum summa atque antiquissima praeditum religione tum singulari opere artificioque perfectum. Hoc translatum Carthaginem locum tantum hominesque mutarat, religionem quidem pristinam conservabat; nam propter eximiam pulchritudinem etiam hostibus digna quam sanctissime colerent videbatur.

M.T. Cicero *in Verrem actio II liber IV*

Objaśnienia:

Troia, ae f - Troja
Aeneas, ae m - Eneasz
Poenus, i m - Punijczyk
Segestanus, i m - mieszkaniec Segesty
Carthageniensis, is m - Kartagińczyk
Carthago, inis f - Kartagina
Diana, ae f - Diana, bogini rzymska
simulacrum, i n - posąg
Sicilia, ae f - Sycylia

XXIV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2005/2006 - III ETAP

Quomodo Verres astrologus novus factus est.

Cephaloedi mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. Etat eius honoris cupidus Artemo quidam, Climachias cognomine, homo sane locuples et domi nobilis. Sed is fieri nullo modo poterat si Herodotus quidam adesset: ei locus ille atque honos in illum anuum ita deberi putabatur ut ne Climachias quidem contra diceret. Res ad istum defertur et istius more deciditur: toreumata sane nota et pretiosa auferuntur. Herodotus Romae erat; satis putabat se ad comitia tempore venturum si pridie venisset. Iste, ne aut alio mense ac fas erat comitia haberentur, aut Herodoto praesenti honos adimeretur, id quod iste non laborabat, Climachias minime volebat, (...) excogitat, inquam, quem ad modum mense illo legitimo comitia haberentur nec tamen Herodotus adesse posset.

Est consuetudo Siculorum ceterorumque Graecorum, quod suos dies mensisque congruere volunt cum solis lunaeque ratione, ut non numquam, si quid discrepet, eximant unum aliquem diem aut summum biduum ex mense, quos illi exaeresimos dies nominant; item non numquam uno die longiorem mensem faciunt aut biduo. Quae cum iste cognosset novus astrologus, qui non tam caeli rationem quam caelati argenti duceret, eximi iubet non diem ex mense, sed ex anno unum dimidiatumque mensem hoc modo ut, quo die verbi causa esse oporteret Idus lanuarias, is eo die Kalendas Martias proscribi iuberet: itaque fit omnibus recusantibus et plorantibus. Dies is erat legitimus comitiis habendis.

Eo modo sacerdos Climachias renuntiatus est.

M.T. Cicero *in Verrem actio II liber IV*

Objaśnienia:

Cephaloedium, i n - Kefalodium, miasto na Sycylii
Artemo, inis Climachias, ae m - Artemon Klimachiasz
Herodotus, i m - Herodot
Siculus, i m - Sycylijczyk, mieszkaniec Sycylii
Graecus, i m - Grek, mieszkaniec Grecji
iste ovus astrologus - cynicznie o Werresie
Iste, ne aut alio mense - "iste" odnosi się do Werresa
cognosset = cognovisset
summum - tłumacz: co najwyżej

XXIII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2004/2005 – I ETAP

De signis in sacrario Cai Hei.

Alcibiades, Cliniae filius, Atheniensis. In hoc, quid natura efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. Natus in amplissima civitate summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus, ad omnes res aptus consiliique plenus - namque imperator fuit summus et mari et terra, disertus, ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei [dicendo] posset resistere -, dives; cum tempus posceret, laboriosus, patiens; liberalis, splendidus non minus in vita quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens: idem, simulac se remiserat neque causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam.

Cornelius Nepos *De viris illustribus, Alcibiades I 1-4*

XXII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2003/2004 – I ETAP

De signis in sacrario Cai Hei.

Verum ut ad illud sacrarium redeam, signum erat hoc quod dico Cupidinis e marmore, ex altera parte Hercules egregie factus ex aere. Is dicebatur esse Myronis, ut opinor, et certe. Item ante hos deos erant arulae, quae cuivis religionem sacrari significare possent. Erant aenea duo praeterea signa, non maxima verum eximia venustate, virginali habitu atque vestitu, quae manibus sublatis sacra quaedam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant; Canephoroe ipsae vocabantur; sed earum artificem—quem? quemnam? recte admones—Polyclitum esse dicebant. Messanam ut quisque nostrum venerat, haec visere solebat; omnibus haec ad visendum patebant cotidie; domus erat non domino magis ornamento quam civitati.

M.T. Cicero *in Verrem actio II liber IV*, *5*

Uwagi ogólne: Tekst jest urywkiem mowy Cycerona przeciw Werresowi, namiestnikowi Sycylii w latach 73 - 71 p.n.e., oskarżonemu o zdzierstwa i okrucieństwa wobec mieszkańców wyspy. W księdze czwartej mowy opisał Cyceron rabunek dzieł sztuki przez Werresa - stąd w tekście czas przeszły, np. "signum erat:, "erant aenea... signa", itp.

Objaśnienia:

signum, -i – posąg, rzeźba, figura
Caius Heius – Gajusz Hejusz, współczesny Cyceronowi mieszkaniec Sycylijskiego miasta Messyny, właściciel okazałego domu, w którym miał kapliczkę ozdobioną posągami znakomitych rzeźbiarzy greckich
Kupido, -inis – Kupidyn, syn Wenery, bożek miłości
Herkules, -is – Herkules, mityczny bohater grecki, syn Zeusa i Alkmeny
Myro, -onis – Myron, sławny rzeźbiarz grecki. Żył w V wieku p.n.e.
arula, -ae – mały ołtarz, ołtarzyk
Atheniensis, -is – ateński
Canephoroe (*pl. f)* – kanefory, dziewczęta niosące na głowach w czasie procesji kosze ze świętościami
Polyclitus, -i – Poliklet, sławny rzeźbiarz grecki. Żył w V wieku p.n.e.
Messana, -ae – Messyna, miasto na Sycylii.
ornamento esse alicui – być czyjąś ozdobą.

XXII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2003/2004 – II ETAP

De Marco Porcio Catone.

Omnes patricios plebeiosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. In hoc uiro tanta uis animi ingeniique fuit, ut quocumque loco natus esset, fortunam sibi ipse facturus fuisse uideretur. Nulla ars neque priuatae neque publicae rei gerendae ei defuit; urbanas rusticasque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit: huic uersatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret: in bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis, idem postquam ad magnos honores peruenit, summus imperator, idem in pace, si ius consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum, cuius lingua uiuo eo uiguerit, monumentum eloquentiae nullum exstet: uiuit immo uigetque eloquentia eius sacrata scriptis omnis generis.

T. Livius *Ab Urbe condita liber, XXXIX 40*

Objaśnienia:

Marcus Porcius Cato - Marek Porcjusz Katon (231 - 149 p.n.e.), wybitny rzymski mąż stanu i mówca, znany i ceniony również jako pisarz. Był zwolennikiem starorzymskiej prostoty i obyczajów, wrogiem kultury greckiej i jej zwolenników.
facturus fuisse - w następniku okresu nierzeczywistego (modus irrealis), po przejściu w składnię *accusativus cum infinitivo* coniunctivus plusquamperfecti oddaje infinitivus perfecti koniugacji omownej czynnej na -urus fuisse.
versatilis, -is, -e_- obrotny, zręczny, wszechstronny, żywy (o umyśle).
causam orare - bronić sprawy

XXI OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2002/2003 - I ETAP

De latrociniis et hospitalitate apud Germanos

Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cuiusque civitatis fiunt, atque ea iuventutis exercendae ac desidiae minuendae causa fieri praedicant. Atque ubi quis ex principibus in concilio dixit se ducem fore, qui sequi velint, profiteantur, consurgunt ei qui et causam et hominem probant suumque auxilium pollicentur atque ab multitudine collaudantur: qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque his rerum postea fides derogatur. Hospitem violare fas non putant; qui quacumque de causa ad eos venerunt, ab iniuria prohibent, sanctos habent, hisque omnium domus patent victusque communicatur.

C.I. Caesar *De bello Gallico VI 23, 6-9*

Objaśnienia:

se ducem fore = se ducem futurum esse

XXI OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2002/2003 - II ETAP

De generibus epistularum.

Cicero s.d. Caio Curioni.

Epistularum genera multa esse non ignoras sed unum illud certissimum, cuius causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentis si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset. Huius generis litteras a me profecto non exspectas. Tuarum enim rerum domesticos habes et scriptores et nuntios, in meis autem rebus nihil est sane novi. Reliqua sunt epistularum genera duo, quae me magno opere delectant, unum familiare et iocosum, alterum severum et grave. Utro me minus deceat uti non intellego. Iocerne tecum per litteras? Civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. An gravius aliquid scribam? Quid est quod possit graviter a Cicerone scribi ad Curionem nisi de re publica?

Vale.

M.T. Cicero *Epistulae ad familiares, liber II ep.4*

Objaśnienia:

List adresowany do Gajusza Skribiniusza Kuriona Cyceron napisał w Rzymie w roku 53 a.Ch.n. Przytoczony urywek, w którym autor popisuje się znajomością teorii pisania listów, stanowił wstęp do części dalszej, tutaj pominiętej, gdzie zostały poruszone bieżące sprawy polityczne.

Caius Scribonius Curio - Gajusz Skriboniusz Kurion, polityk rzymski, przyjaciel Cycerona, zaciekły wróg Cezara.
interest - zależy komuś, obchodzi kogoś, interesuje kogoś z gen. rzeczy lub osoby (np. ipsorum abstinentium interesset); zaimki osobowe lub dzierżawcze łączą się z tym czasownikiem w ablativie (np. nostra interesset)
uti - infinitivus praesentis od czasownika utor, uti, usus sum; tutaj zależny od deceat.

XX OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2001/2002 - I ETAP

De deis Gallorum.

Deorum maxime Mercurium colunt. Huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Apollinem et Martem et Iovem et Minervam. De his eandem fere, quam reliquae gentes, habent opinionem: Apollinem morbos depellere, Minervam operum atque artificiorum initia tradere, Iovem imperium caelestium tenere, Martem bella regere. Huic, cum proelio dimicare constituerunt, ea quae bello ceperint plerumque devovent: cum superaverunt, animalia capta immolant reliquasque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exstructos tumulos locis consecratis conspicari licet; neque saepe accidit, ut neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare aut posita tollere auderet, gravissimumque ei rei supplicium cum cruciatu constitutum est.

C.I. Caesar *De bello Gallico VI 17, 1-5*

Objaśnienia:

Mercurius, i m - Merkury
Mars, tis m - Mars
Apollo, inis m - Apollo
Iuppiter, Iovis, Iovi, Iovem, Iove, Iuppiter! m - Jowisz
Minerva, ae f - Minerwa

XIX OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2000/2001 - II ETAP

De Germanorum moribus.

[Germani] Agri culturae non student, maiorque pars eorum victus in lacte, caseo, carne consistit. Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios; sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum et quo loco visum est agri attribuunt atque anno post alio transire cogunt. Eius rei multas adferunt causas: ne adsidua consuetudine capti studium belli gerendi agricultura commutent; ne latos fines parare studeant, potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; ut animi aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.

C.I. Caesar *De bello Gallico VI 22, 1-4*

Objaśnienia:

anno post = proximo anno
alio = alium in locum
Germani, orum m - Germanowie
agri cultura = agricultura

XVIII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 1999/2000 - I ETAP

De Iphicrate

Iphicrates Atheniensis non tam magnitudine rerum gestarum quam disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae cum primis compararetur, sed ne de maioribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multum vero in bello est versatus, saepe exercitibus praefuit, nusquam culpa male rem gessit, semper consilio vicit tantumque eo valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit. Namque ille pedestria arma mutavit. Cum ante illum imperatorem maximis clipeis, brevibus hastis, minutis gladiis uterentur, ille e contrario peltam pro parma fecit (a quo postea peltastae pedites appellabantur), ut ad motus concursusque essent leviores, hastae modum duplicavit, gladios longiores fecit.

Cornelius Nepos *De viris illustribus,* ed. P. K. Marshall, *1991, Iphicrates I 1-4*

Objaśnienia:

Iphicrates, -is *m.*: Ifikrates, dowódca wojsk ateńskich. Żył na przełomie w. V/IV p.n.e. Zmarł w roku 353 p.n.e.
Atheniensis, -is *m.*: Ateńczyk
culpa = culpa sua

XII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 1993/1994 - I ETAP

De Pelopida

Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae; sed profecto numquam tam ab tenui initio tantae opes sunt profligatae. Nam duodecim adulescentuli coierunt ex iis, qui exsilio erant multati, cum omnino non essent amplius centum, qui tanto se offerrent periculo. Qua paucitate percussa est Lacedaemoniorum potentia. Hi enim non magis adversariorum factioni quam Spartanis eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Graeciae; quorum imperii maiestas, neque ita multo post, Leuctrica pugna ab hoc initio perculsa concidit. Illi igitur duodecim, quorum dux erat Pelopidas, cum Athenis interdiu exissent, ut vesperascente caelo Thebas possent pervenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui cum tempore ipso, quo studuerant, pervenissent, domum Charonis deverterunt, a quo et tempus et dies erat datus.

Cornelius Nepos *De viris illustribus, Pelopidas II 3-5*

Objaśnienia:

Pelopidas, ae m - Tebańczyk, przywódca demokracji w Tebach w IV w. a.Ch.n. po zamachu oligarchicznym przebywał w Atenach, stamtąd wrócił do Teb na czele dwunastu młodzieńców w celu przywrócenia demokracji.
Cahon, is m - obywatel Teb, współczesny Pelopidasowi.

XII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 1993/1994 - II ETAP

Ubi Caesar castra posuerit.

Postquam omnes Belgarum copias in unum locum coactas ad se venire vidit neque iam longe abesse ab iis quos miserat exploratoribus et ab Remis cognovit, flumen Axonam, quod est in extremis Remorum finibus, exercitum traducere maturavit atque ibi castra posuit. Quae res et latus unum castrorum ripis fluminis muniebat et post eum quae erant tuta ab hostibus reddebat et commeatus ab Remis reliquisque civitatibus ut sine periculo ad eum portari possent efficiebat. In eo flumine pons erat. Ibi praesidium ponit et in altera parte fluminis Q. Titurium Sabinum legatum cum sex cohortibus relinquit; castra in altitudinem pedum XII vallo fossaque duodeviginti pedum muniri iubet.

C. Iulius Caesar *De bello Gallico* II 5, 4-6

Objaśnienia:

Belga, ae m - Belg, mieszkaniec belgii
Remi, orum m - naród w Galii Belgickiej w okolicy dzisiejszego miasta Rhemis
Axona, ae m - rzeka w Galii Lugduńskiej

XII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 1993/1994 - III ETAP

Quantum apud antiquos Romanos ius iurandum valeat.

Luciuo Manlio Auli filio, cum dictator fuisset, Marcus Pomponius tribunus plebis diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset et ruri habitare iussisset. Quod cum audivisset adulescens filius negotium exhiberi patri, accurisse Romam et cum primo luci Pomponii domum venisse dicitur. Cui cum esset nuntiatum, qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adulescentem iussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit iuravitque se illum statim interfecturum, nisi ius iurandum sibi dedisset se patrem missum esse facturum. Iuravit hoc terrore coactus Pomponius; rem ad populum detulit, docuit, cur sibi causa desistere necesse esset, Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis ius iurandum valebat.

M.T. Cicero *De officiis* III, 112

Objaśnienia:

Cum primo luci = prima luce
Lucius Manlius Capitolinus - syn Aulusa, dyktator w 363r a.Ch.n.
Marcus Pomponius - trybun ludowy w tych czasach
Torquatus - przydomek od torques - łańcuch na szyję, nadano go rodowi Manliuszów

XXXVI OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2017/2018 - III ETAP

Przetłumacz poniższy tekst autorstwa Marka Tulliusza Cycerona.

Spokojna śmierć nagrodą od bogów?

Deorum immortalium iudicia de morte solent in scholis proferre, Herodoto auctore aliisque pluribus.

Primum Argivae sacerdotis filii, Cleobis et Bito, praedicantur. Nota fabula est: cum enim illam sacerdotem ad sollemne et statum sacrificium curru vehi ius esset, ad fanum satis longe ab oppido, morarenturque iumenta, tum iuvenes ii, veste posita, corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis, precata esse a dea dicitur, ut id illis praemii daret pro pietate, quod homini dari posset a deo. Epulatos cum matre adulescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos scimus.

Secundum, simili precatione Trophonius et Agamedes usi dicuntur; qui cum Apollini Delphis templum exaedificavissent, venerantes deum petiverunt mercedem non parvam quidem operis et laboris sui: nihil certi, sed quod esset optimum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit post diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti.

[wg Marcus Tullius Cicero, *Disputationes Tusculanae I*, 114-115]

Objaśnienia:
profero, proferre, protuli, prolatum: prezentować, przytaczać
perungo, -ere, -unxi, unctum: natrzeć
Herodotus, -i: Herodot [wybitny grecki historyk z V w. p.n.e.]
Argivus, -a, -um: argiwski, z Argos [greckiego miasta na Peloponezie]
Cleobis, -itis: Kleobis [mityczny heros, syn kapłanki z Argos, brat Bitona]
Bito, -onis: Biton [mityczny heros, syn kapłanki z Argos, brat Kleobisa]
Trophonius, -i: Trofonios [mityczny budowniczy, brat Agamedesa]
Agamedes, -is: Agamedes [mityczny budowniczy, brat Trofoniosa]
Delphi, -orum: Delfy [świątynia i wyrocznia Apollina]

XXXV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2016/2017 - I ETAP

Przetłumacz na język polski podany poniżej tekst łaciński.

Dwaj królowie Rzymu: Numa Pompiliusz i Tullus Hostiliusz

Succedit Romulo, primo Romanorum regi, Numa Pompilius. Ille populum suum sacra et caerimonias omnemque cultum deorum immortalium docuit, ille pontifices, augures ceteraque sacerdotia creavit et annum in duodecim menses dividit. Vi et iniuria Romani primum occupavisse imperium dicuntur, sed Numa rege iustitia et religione gubernari inceperunt. Numae successor Tullus Hostilius fuit, cui in honorem virtutis eius regnum datum est. Hic militarem disciplinam Romae condidit atque bello Albam Longam, Romae quamvis parentem, aemulam tamen vero, diruit. Numa pace, Tullus tamen bello egregius fuit.

[Florus, *Epitome de Tito Livio*, I, 1]

Objaśnienia:
Numa Pompilius, Numae Pompilii: Numa Pompiliusz [drugi legendarny król Rzymu, następca Romulusa, wybitny prawodawca]
Tullus Hostilius, Tulli Hostilii: Tullus Hostiliusz [trzeci legendarny król Rzymu, władca-wojownik]
Alba Longa, Albae Longae: Alba Longa [miasto założone przez potomków Eneasza, skąd wywodził się ród Romulusa]

XXXV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2016/2017 - II ETAP

CZĘŚĆ I: PRZEKŁAD

Przetłumacz na język polski poniższy fragment tekstu:

Kult pięknej królewny Psyche zagraża pozycji samej Wenus

Erant in quadam civitate rex et regina. Filia formosissima, quae Psyche vocabatur, iis erat. Puellae eius praecipua et praeclara pulchritudo nec exprimi nec proprie laudari sermone humano poterat. Multi denique civium et quoque advenae nonnulli, quos eximii spectaculi rumor congregabat, puellam prorsus deam Venerem venerabantur religiosis adorationibus. Deam neglegendam esse omnes dicebant: Paphum nemo, Cnidum ad conspectum Veneris nemo navigabat. Sacra eius praetereuntur, templa deformantur, caerimoniae negleguntur. Haec honorum caelestium immodica translatio ad cultum puellae mortalis Veneris vehementer incendit animos. Dixit dea: ista meos honores usurpabit; sed non longe illis gaudebit! Mox puellam pulchritudinis et honorum paenitebit!

(na podstawie: Apulejusz, *Metamorphoses*, IV, 28)

Objaśnienia:
Psyche, -es, f – Psyche [mityczna księżniczka słynna z urody];
Venus, -eris, f – Wenus [gr. Afrodyta, bogini miłości, najpiękniejsza spośród bogiń];
Paphus, -i – Pafos [miasto na Cyprze, ośrodek kultu Afrodyty/Wenus];
Cnidus, -i – Knidos, [miasto w Karii, ośrodek kultu Afrodyty/Wenus]
veneror,- ari, - atus sum – czcić
praetereo, -ire, -ii, -itum – pomijać, lekceważyć
puellam (...) paenitebit – dziewczyna pożałuje

XXXV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2016/2017 - II ETAP

CZĘŚĆ II: TEST GRAMATYCZNY

1. Przekształć z liczby pojedynczej na mnogą (wszystkie wyrazy, które mogą ulec zmianie):

a) Imperator a milite fatigato salutatus est.

.....

b) Poeta carmen novum de bello horribili scribet.

.....

2. Zamień na stronę czynną:

a) Urbs Romana a civibus bonis defenditur.

.....

b) A consule pio templa nova Minervae dedicata sunt.

.....

3. Obok form czasownika *moneo* wpisz odpowiadające im gramatycznie formy czasownika *iungo*:

a) monitae sunt .....

b) monete! .....

c) monuissem .....

d) monebitis .....

4. Uzupełnij luki w zdaniach poprawną formą wyrazu podanego w nawiasie:

a) Senex, cum mortem appropinquare ....., filios suos convocavit. (sentio)

b) Magistratus spectaculum parat, ut populum ..... (delecto)

5. Dokończ zdania, przekształcając zdanie wyjściowe w ACI:

a) Post magnam victoriam Augustus imperii Romani principatum occupavit.

Viri docti dicunt .....

b) Legatus a senatu ad reginam Aegypti mittitur.

Constat .....

6. Przekształć zdanie, stosując składnię coniugatio periphrastica passiva:

Milites oppida inimicorum delere debent.

.....

7.Przekształć zdanie przy zastosowaniu składni dativus possessivus:

Tyrannus non habebat amicos.

.....

XXXV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2016/2017 - III ETAP

Przetłumacz na język polski poniższy fragment tekstu Marka Tulliusza Cycerona.

Różnice religijne w świecie starożytnym

Nunc autem, si quis multas et varias gentes et urbes despicere et oculis collustrare possit, videat primum in illa incorrupta maxime gente Aegyptiorum, quae plurimorum saeculorum et eventorum memoriam litteris continet, bovem quendam putari deum, quem Apim Aegyptii nominant. Multaque alia portenta apud eosdem esse et cuiusque generis beluas consecratas numero deorum scimus. Deinde Graeciae sicut apud nos delubra magnifica humanis consecrata simulacris, quae Persae nefaria putaverunt. Eamque unam ob causam Xerxes inflammari Atheniensium fana iussisse dicitur, quod deos, quorum domus esset omnis hic mundus, inclusos parietibus contineri nefas esse duceret. Post autem cum Persis et Philippus, qui cogitavit, et Alexander, qui gessit, hanc bellandi causam inferebat, quod vellet Graeciae fana punire. Quae ne reficienda quidem Graeci putaverunt, ut esset posteris ante os documentum Persarum sceleris sempiternum. Quam multi, ut Tauri, ut rex Aegypti Busiris, ut Galli, ut Poeni, homines immolare et pium et diis immortalibus gratissimum esse duxerunt!

[cf. M. Tullius Cicero, *De re publica*, III, 14-15]

Objaśnienia:
Apis, -is (acc. sg *Apim*) – Apis [święty byk czczony w Egipcie]
Aegyptius, -ii – Egipcjanin
numerus -i – tu: duża ilość
Persa, -ae – Pers
Xerxes, -is – Kserkses [król perski w latach 486 – 465 p.n.e., inicjator wojny z Grekami w roku 480 p.n.e., podczas której doszło do spalenia Aten]
Philippus, -i – Filip [Filip II Macedoński, król Macedonii w latach 359 – 336 p.n.e.; jego plany ataku na Persję udaremniła śmierć]
Alexander, -i – Aleksander [Aleksander Wielki]
ante os – tu: przed oczyma
Taurus, -i – Taur [mieszkaniec Taurydy na Krymie]
Busiris, -idis – Buzyrys [mityczny król Egiptu]
Gallus, -i – Gall
Poenus, -i – Punijczyk, Fenicjanin

XXXIV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2015/2016 - I ETAP

Przetłumacz na język polski podany niżej tekst łaciński:

Spotkanie Aleksandra i Hefajstiona z matką króla Dariusza

Rex Persarum Dareus ab Alexandro rege Macedonum pugna victus est. Post pugnam Alexander victor castra Darei visitavit. Omnium oculos animosque in se converterant captivae mater coniunxque Darei: una maiestate, altera pulchritudine excellens. Alexander tabernaculum earum cum Hephaestione amico carissimo intravit. Is, sicut aetate par erat Alexandro, ita corporis habitu praestabat. Ergo reginae, illum regem credentes, Persico more Hephaestionem veneratae sunt. Inde, errorem suum cognoscens, Darei mater advoluta est pedibus Alexandri; eam manu allevans rex: "Non erravisti", inquit, "regina: nam et hic Alexander est".

(na podstawie: Q. Curtius Rufus, *Historiae Alexandri Magni*, III, 12-13)

Objaśnienia:
Alexander, -dri – Aleksander [Aleksander III Wielki, król macedoński]
Macedo,-onis – Macedończyk
Dareus, -i – Dariusz [Dariusz III, król perski, przeciwnik Aleksandra]
Hephaestio, -onis – Hefajstion [towarzysz i najbliższy przyjaciel Aleksandra]
corporis habitus – tu: wygląd zewnętrzny, uroda

XXXIV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2015/2016 - II ETAP

CZĘŚĆ I: PRZEKŁAD

Przetłumacz na język polski poniższy fragment tekstu:

Kariera i upadek Koriolana

Rei publicae temporibus Romani multa bella contra Volscorum gentem gerebant. Dux Romanus, Gnaeus Marcius, captis Coriolis urbe Volscorum, Coriolanus dictus est. Ille, quia virtutis et pietatis erat exemplum, consul est designatus. Plebs tamen eum inimicum suum esse credidit. Nam Coriolanus frumentum magno pretio populo dandum curavit, ut plebs agros, non seditiones coleret. A tribuno plebis castigatus, ad Volscos concessit eosque adversus Romanos concitavit. Post multas victorias Volsci cum Coriolano ad ipsam urbem Romam castra posuerunt. Coriolanus nullis civium legationibus flectebatur; denique a matre et uxore sua motus, omisso bello ut traditor a Volscis occisus est.

(Na podstawie: Aureliusz Wiktor, *De viris illustribus urbis Romae*, XIX 1-5)

Objaśnienia:
Volsci, -orum – Wolskowie [plemię italskie zamieszkałe na południe od Lacjum; w okresie wczesnej republiki Rzymianie toczyli z Wolskami liczne wojny].
Gnaeus, -i Marcius, -i– Gneusz Marcjusz [legendarny wódz rzymski z okresu wczesnej republiki].
Corioli, - orum – Koriole [ważne miasto, należące do Wolsków].
Coriolanus, -i – Koriolan [przydomek nadany Gneuszowi Marcjuszowi na pamiątkę zdobycia przez niego Koriolów].

XXXIII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2015/2016 - II ETAP

CZĘŚĆ II: TEST GRAMATYCZNY

1. Przekształć z liczby pojedynczej na mnogą (wszystkie wyrazy, które mogą ulec zmianie):

a) Puer amico fideli librum dabit.

.....

b) Nova domus filiae a matre visitatur.

.....

2. Zamień na stronę bierną:

a) Quintus poeta de puellis Graecis multa carmina composuit.

.....

b) Consules et praefecti exercitum Romanum in fines inimicorum ducunt.

.....

3. Obok form czasownika *amare* wpisz odpowiadające im gramatycznie formy czasownika *legere*:

a) amati sunt .....

b) amaris .....

c) amavistis .....

d) amat .....

4. Uzupełnij luki w zdaniach poprawną formą wyrazu podanego w nawiasie:

a) Caesar principes monet ne proelium ..... (committo)

b) Romulus, cum in his locis nihil praeter silvas ..... (esse), novam urbem aedificavit.

5. Dokończ zdania, przekształcając zdanie wyjściowe w ACI:

a) Graeci perfidi equum in ora maritima construxerunt.

Poeta narrat .....

b) Opus difficile de rerum natura a philosopho scribitur.

..... scimus.

6. Dokończ zdanie przy zastosowaniu coniugatio periphrastica passiva:

Magister discipulos bonos laudare debet.

Discipuli .....

7. Dokończ zdanie przy zastosowaniu dativus possessivus:

Nautae magnificas naves habuerunt.

Magnificae .....

XXXIV OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2015/2016 - III ETAP

Przetłumacz na język polski poniższy fragment tekstu Marka Tulliusza Cycerona.

Dzieje i poglądy Sekstusa Roscjusza z Amerii

Sextus Roscius municeps Amerinus fuit, cum genere et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile primus, tum gratia atque hospitiis hominum nobilissimorum florens. Nam cum Metellis, Serviliis, Scipionibus erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo. Itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit; nam patrimonium vi ereptum domestici praedones possident, fama et vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defenditur. Hic cum omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret, praeter ceteros in ea vicinitate eam partem causamque opera, studio, auctoritate defendit. Etenim rectum putabat pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. Postea quam victoria constituta est, cum proscriberentur homines atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii fuisse putabantur, erat ille Romae frequens atque in foro et in ore omnium cotidie versabatur, magis ut exsultare victoria nobilitatis videretur quam timere, ne quid calamitatis sibi accideret.

[cf. Marcus Tullius Cicero, *Pro Sexto Roscio Amerino*, 15-16]

Objaśnienia:
Sextus, -i Roscius, -i: Sekstus Roscjusz [zamożny mieszkaniec Amerii; Cyceron w mowie, z której pochodzi ten fragment, broni jego syna];
Amerinus, -a, -um: z Amerii [Ameria - miasto o statusie municypium, leżące w południowej Umbrii];
Metelli, -orum: Metellusowie [jeden z ważnych rodów rzymskich];
Servilii, -orum: Serwiliusze [jeden z ważnych rodów rzymskich];
Scipiones- um: Scypionowie [gałąź rodu Korneliuszów, jednej z ważnych rodzin rzymskich];
usus domesticus: tu: bliska znajomość, zażyłość;
domestici praedones: rabusie z rodziny [mowa o krewnych, którzy nieprawnie zagarnęli majątek Roscjusza po jego śmierci];
tumultus, -us: tu: problemy polityczne, polityczna zawierucha [mowa o proskrypcjach zarządzonych przez Sullę w r. 82 p.n.e.];

XXXIII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2014/2015 - I ETAP

Przetłumacz na język polski poniższy fragment tekstu łacińskiego, w którym Oktawian August opowiada o swoich przewagach i sukcesach wojskowych.

Bella civilia externaque terra et mari toto in orbe terrarum saepe gessi. Victor omnibus petentibus civibus peperci. Bis triumphavi et appellatus sum viciens et semel imperator. In triumphis meis ducti sunt ante currum meum reges aut regum liberi novem. Dictaturam mihi delatam et a populo et a senatu non accepi. Post bella in templis ornamenta reposui, quae spoliatis templis inimici mei privatim possederant. Classis mea per Oceanum ab ostio Rheni ad solis orientis regionem et usque ad fines Cimbrorum navigavit. Meo iussu ducti sunt duo exercitus in Aethiopiam et in Arabiam et complura oppida capta sunt.

(Na podstawie: Oktawian August, *Res gestae divi Augusti*)

Objaśnienia:
peperci – 1 persona sg. ind. perf. act. od parco, parcere, peperci
viciens et semel – dwadzieścia jeden razy
delatam – Acc. sg. (f) partic. perf. pass. od defero, deferre, detuli, delatum
regio, -onis – tu: strona, kierunek
Rhenus, -i – Ren
Cimbri, -orum – Cymbrowie [plemię germańskie]
Aethiopia, -ae - Etiopia [Rzymianie często określali tą nazwą całą Afrykę]
Arabia, -ae - Arabia

XXXIII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2014/2015 - II ETAP

CZĘŚĆ I: PRZEKŁAD

Przetłumacz na język polski fragment mowy Cycerona.

Chciwość i zbrodnie Oppianika

Voluit Oppianicus Sassiam in matrimonium ducere et id magno opere contendit; illa autem respondit se ab eis nuptiis abhorrere, quod haberet ille tres filios. Oppianicus pecuniam Sassiae concupivit et domo sibi quaerendum remedium existimavit. Eius filius, ex uxore Papia natus, in matris domo educabatur. Arcessit pater subito sine causa puerum, quod facere antea non solebat. Mater misera nihil mali suspicans filium mittit eoque ipso die puer ante noctem mortuus est. Dies nondum decem intercesserant cum alter Oppianici filius infans necatur. Itaque nubit Sassia Oppianico, laetanti iam animo. Et ut ceteri propter liberos pecuniae cupidiores esse solent, ita ille propter pecuniam filios amittere iucundum esse duxit.

(wg: Marek Tulliusz Cyceron, Pro Cluentio 27-28)

Objaśnienia:
Oppianicus, -i – Oppianik [znany z chciwości i bezwzględności obywatel miasta Larinum]
Sassia, -ae – Sassia [bogata rozwódka, o której rękę starał się Oppianicus]
Papia, -ae – Papia [poprzednia żona Oppianika]
arcesso, -ere, -ivi, -itum – wezwać, zaprosić
duco, -ere, duxi, ductum – w tekście występuje dwukrotnie, w różnych znaczeniach:
1) w związku frazeologicznym „in matrimonium ducere”
2) w znaczeniu: uważać, sądzić, uznawać

XXXIII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2014/2015 - II ETAP

CZĘŚĆ II: TEST GRAMATYCZNY

1. Przekształć z liczby pojedynczej na mnogą (wszystkie wyrazy podlegają zmianie):

a) Miles strenuus pontem in fluvio construit.

.....

b) Templum deae a matrona cum filio visitatum est.

.....

2. Zamień na stronę bierną:

a) Hostes ducem Romanum fortissimum captaverunt

.....

b) Mox nos amicum nostrum fidelem videbimus.

.....

3. Obok form czasownika *videre* wpisz odpowiadające im gramatycznie formy czasownika *legere*:

a) visae sunt .....

b) videris .....

c) vidit .....

d) videbimus .....

4. Uzupełnij luki w zdaniach poprawną formą wyrazu podanego w nawiasie:

a) Adeo excellit ille virtutibus, ut Iustum eum homines …..... (appellare)

b) Cum Caesar …..... (esse) in Gallia, multi legati ad eum venerunt.

5. Dokończ zdania, przekształcając zdanie wyjściowe w ACI:

a) Magistratus Romani saepe de legibus disputant.

Cicero tradit .....

b) Remus a Romulo fratre necatus est.

..... scimus.

6. Dokończ zdanie przy zastosowaniu coniugatio periphrastica passiva:

Discipulus Homeri opera legere debet.

Homeri opera .....

7. Dokończ zdanie przy zastosowaniu dativus possessivus:

Agricola parvum agrum habuit.

Parvus .....

XXXIII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2014/2015 - III ETAP

Przetłumacz na język polski poniższy fragment tekstu Marka Tulliusza Cycerona.

Cyceron polemizuje z poglądem, że starość osłabia pamięć i zdolności intelektualne

At senectute memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas, aut etiam si sis natura tardior. Quid iuris consulti, quid pontifices, quid augures, quid philosophi senes, quam multa meminerunt! Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria, neque ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit; quod propter studium cum rem neglegere familiarem videretur, a filiis in iudicium vocatus est, ut, quem ad modum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum quasi desipientem a re familiari removerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Oedipum Coloneum, recitasse iudicibus quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato sententiis iudicum est liberatus. Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus numquam fere ulla in agro maiora opera fiunt, non de serendis, non de percipiendis, non de condendis fructibus. Quamquam in aliis minus hoc mirum est; nemo enim est tam senex qui se annum non putet posse vivere.

(cf. Marcus Tullius Cicero, *Cato Maior de senectute*, 21-24)

Objaśnienia:
Sophocles, -is - Sofokles [dramaturg ateński, żył ok. 497 ok. 405 p.n.e.]
Oedipus Coloneus - *Edyp w Kolonos* [tragedia Sofoklesa, powstała ok. 406 p.n.e.]
ager Sabinus - ziemie sabińskie [historyczny termin określający tereny obejmujące część Lacjum i Umbrii]

XXXII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2013/2014 - III ETAP

Przetłumacz na język polski poniższy fragment tekstu łacińskiego, w którym Cyceron broni poety Archiasza, dowodząc jego prawa do posiadania rzymskiego obywatelstwa:

Quotiens ego hunc Archiam vidi, iudices, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum dicere ex tempore! quotiens revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis atque sententiis! Quae vero accurate cogitateque scripsisset, vidi ea sic probari, ut ad veterum scriptorum laudem perveniret. Hunc ego non diligam, non admirer, non omni ratione defendendum putem?

Atque sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia ex doctrinā et praeceptis et arte constare: poetam naturā ipsā valere, et mentis viribus excitari, et quasi divino quodam spiritu inflari. Quā re noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.

Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla umquam barbaria violavit. Saxa atque solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt: nos, instituti rebus optimis, non poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant, itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt: permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt. Ergo illi alienum, quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc [= Archiam] vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiabimus? praesertim cum omne olim studium atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam.

(cf.: M. Tullius Cicero, *Pro Archia poeta oratio* 18-19)

Objaśnienia:
Archias, -ae – Archiasz [Aulus Licinius Archias, grecki poeta osiadły w Rzymie, w roku 62 p.n.e. oskarżony o bezprawne uzyskanie obywatelstwa rzymskiego]
ex tempore – od razu, natychmiast, na poczekaniu
ad laudem pervenire – zyskać uznanie, zdobyć sławę
constare (ex aliqua re) – opierać się, polegać (na czymś)
Ennius, -i – Enniusz [Quintus Ennius, III/II w. p.n.e., poeta rzymski]
Homerus, -i – Homer
Colophonii, -orum – mieszkańcy Kolofonu [miasto w Azji Mn.], Kolofończycy
Chii, -orum – mieszkańcy Chios [wyspa na Morzu Egejskim]
Salaminii, -orum – mieszkańcy Salaminy, Salamińczycy
Smyrnaei, -orum – mieszkańcy Smyrny, Smyrneńczycy

XXXI OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 2012/2013 - I ETAP

